



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Et S. Leonis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

tis non semel ediderat, moram fore cum Academia, tum ciuitati salutarem. Ad hæc honorificum opinor sibi ducebant tantum virum, quantum euasurum videbant, inde totum extitisse, nihilque vlli præterea Academiae debere. Voti compotes ex parte facti sunt, mansitque Coloniae Canisius ad exitum vsque insequentis anni, paulò plus biennium à Fabri discessu. Hoc tempore diuinæ scientiæ orbe confecto, consecratusque Sacerdos in ipsa vrbe Coloniae, sacras primitias in Cœnobio, cui Nazareth nomen, obtulit. Eodem tempore idem ad populum dicere, idem in Academia alteram ex epistolis B. Pauli ad Timoth. in Collegio verò Mōtano sacra Euangelia explanare. Sub hæc Cyrilli Alexandrini duobus Tom. Opera, & Magni Leonis in vnū collecta corpus recognita abs se, vt prompta essent contra Hæreticos arma, vulgavit. Alteramque Cyrilli partem Sebastiano Archiepiscopo Moguntino, alteram Theologiæ studiosis nuncupavit. Opera verò Magni Leonis Ioanni Lippiensi Episcopo Cirenēsi Suffraganeo, & Ecclesiastæ primario Coloniensi, à quo crediderim ipsum sacris ordinibus initiatum, eoque illius se clericum in epistola nuncupatoria nominare. Cæterum quia  
epi-

*Pit' Sacerdos.*

*Concionatur  
& literas di-  
uinæ expla-  
nat.*

*Edidit Cyrilli A-  
lexandrini  
opera.*

*Et S. Leonis.*



epistola illa inscribitur data Coloniae quarto idus  
 Septembris anno salutis humanæ 1547. animad-  
 uertendum est, vel erratum in anno, cum esset sex-  
 to scribendum, vel diem adscriptum, non quo ab  
 autore condita, sed à Typographis edita est: qui &  
 ad nouitatis gratiam diutius retinendam, non ra-  
 rò tempus in titulis editionum anticipant. Nam  
 anni quadragesimi septimi autumno Romæ iam  
 Canisius erat, vti mox referemus. Quia verò latius  
 in dies eius nomen inclarescebat, totque se ille da-  
 bat in opera pietatis ampla, atq; magnifica, Patri-  
 bus curæ fuit prouidere, ne quid humanæ glorio-  
 læ (vt est illa maximi cuiusque boni callida insidi-  
 atrix, ac blanda pernicies) in ea sese decora furtim  
 insinuaret. Eoque Claudius Iaius nominatim ad  
 eum VVormatia egregia monita scripsit, admo-  
 nens, vt ingenij omnes, & linguæ, ac styli labores  
 in Deum sincerè vnum referret, neu se docēdi mu-  
 nere, dicendique, & scribendi vsque eo premi sine-  
 ret, vt inde priuatæ studia pietatis obruerentur, &  
 otium precandi, contemplandique deesset offici-  
 is: Verùm S. Thomæ Aquinatis exemplo actionis  
 inter se, & contēplationis studia temperaret. Quæ  
 monita studium declarant potius, & sollicitudinē

*Monita ad  
 eum Claudij  
 Iaij.*

Patrum